



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Corbinianus Ep. 8. Sept.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

8. Sept. VITÆ SANCTORUM. 561
Quamvis quid conjuges dico, quando in-
utroque virum agnovimus? Ex Surio.

Quæ collatio tui est ad ineffabilem, ad
incomparabilem, ad incomprehensibilem
Deum? nihil ei ad mensuram meriti retrí-
buere potes, si in retributionem eorum, que
pro te sustinuit, te millies mille annis gehen-
nali incendio cruciares. S. Bern. op. de
char. c. 27.

S. CORBINIANUS EP.S. Sept.

CORBINIANUM fugientem è Gal-
liâ honor Romæ affecutus in totius
orbis oculis infulâ maestatum in patriam
remisit. Iterum Romanum dum fugit, ur-
sum, qui clitellarium equum intercep-
tum absumperat, vicariam sibi operam
juber addicere, & cum equo equi etiam
fareinas ferre. Reduci per Bavariam Gri-
moaldus Dux hospitium offert. At ne-
gat ille impudicitiaæ stabulum & hòspi-
tium sibi fore, pelleret, quam uxoris lo-
co haberet, Pilitrudem, fratris nuper
conjugem. Adyolant, ecce, uterque, &
infames nuptias ejurant. Subinde C O R-
B I N I A N U S ad epulum vocatur. Adest, be-
nè precatur, assidet. Sed dum Grimoal-
dus buceam cani objectat (audite quï
canes plures quam pauperes alitis) ever-
sâ mensâ è diatâ se proripit, detesta-
tus epulas, quibus quidem Præsul dixisset
benè, sed canes accubuissent: se deinceps:

Nn

cum

562 VITÆ SANCTORUM. 8. Sept.
cum hominibus cœnaturum. Non multo pôst in Strigem offendit, audit in cantationibus Philitrudis filio salutem attulisse, invicem ingentia munera abstulisse. Enimverò jubet omnia in prædam egenis cedere, debitaque superstitioni stipendia probra & plagas numerat; mox paratas capiti à Pilitrude insidias effugit, sed non perinde etiam hæc cæli iras. Nam primò filium, mox etiam maritum vitâ videt exturbari. Ipsam longum funus vivumque, captivam; Galli abducunt; exulam dein in Italiam asellus asportat. At CORBINIANI tumulum suis exlaminalibus ornavit, Frisinga pro Aſylo habet. Ex tom. I. Annal. Bojo.

Debemus animo premeditari, quod aliquando futuri sumus, quod, velimus nolimus, abesse longius non potest: nam si nongentos vitæ excederemus annos, tamen nihil esset praeterita longitudo, qua esse desisset. S. Hieron. ep. 3.

S. BONFILIUS ORD. SERV. B. M. V.
8. Septembris.

Quid Roma pileum, quid secundum libertatem vindicias crepas? ego item illos laudo, qui pulchram servitatem sub Mariæ nomine circumferunt. Tu felicissima servitutis cunabula audi. Fuit jam olim nobilis inter cives Florentinos Societas Virginis sacra. Hi dum ex more